

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

*sentiant* apud eundem S. Ligorium.—II, 718.

## Tract. de Matrimonio.

154. An inter habentes impedimentum dirimens valida sint sponsalia sub conditione *si Papa dispensaverit*?

Juxta S. Ligorium et alios non paucos, licet sponsalia non valeant ante conditionem impletam, attamen, verificata conditione, valent sine novo consensu. *Verum sententia negativa tenenda est ex decisione S. Rotæ Rom. apud Clericati...*, qui testatur hanc fuisse perpetuam S. Rotæ sententiam. Constat etiam ex declaratione Sac. Congr. Concilii, in *Fanuensi*, 12 Decembris 1733.—II, 725.

Si sponsalia sint contracta... sub conditione expressa *si Papa dispensaverit*, utrum, impleta conditione, valida sint sine novo consensu, vide dicta lib. 3, num. 650, ubi *sententiam tenuimus affirmativam...* Licet enim sponsalia ante conditionem impletam vera sponsalia non sint, inducunt tamen absolutam obligationem expectandi eventum conditionis: ergo consensus perseverat usque ad impletionem conditionis.—VI, 859.

155. An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia si sponso adveniat pinguis hæreditas?

*Controvertitur*. Alii negant... Alii affirmant... Hanc sententiam *satis probare videtur* S. Ligorius.—II, 731.

Affirmant Hurtado... *Sed alii communissime... id negant*; quia tunc ille jam non deceptus est in conditione alterius partis, in qua nulla accedit mutatio.—*Homo apost.*, tract. XVIII, XIX (lib. 6, 876.)

156. An sponsalia dissolvantur per matrimonium subsequens, ita ut, soluto matrimonio, non reviviscant?

Neg. cum sententia communiore. S. Ligor. *Plures tamen contradicunt*, rationibus non spernendis innixi.—II, 733.

Dubium fit an etiam (sponsus) nomenclus liber a sponsalibus remaneat ex matrimonio a se contracto. Affirmant..., sed oppositam sententiam... *ego puto absolute probabiliorem*; nam talis dissolutio non probatur nec lege positiva nec naturali.—*Homo apost.*, tract. XVIII, 13.

157. An parochus assistere possit matrimonio eorum qui sunt publici peccatores?

Resp. 1.º Negat S. Ligorius cum aliis... *Alii tamen melius affirmant*, Minime acquiescimus primæ sententiæ (affirmativæ), et dicimus pa-

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

licet parochus conari debeat ut digne contrahant... Ita communiter, ut fatetur ipse S. Ligorius.—II, 769.

rochum *non teneri nec posse assistere* tali matrimonio. Favetque nobis auctoritas summi pontificis Benedicti XIV... Ratio nostræ sententiæ, etc.—VI, 54.

158. An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio seu probabili?

Resp. 1.º Affirm. probabilius *in dubio seu probabilitate juris ecclesiastici...*; quia, si forte impedimentum reipsa adesset, Ecclesia supplere censetur.—II, 789.

Post diligentiam adhibitam (ad veritatem assequendam), communiter docent doctores posse contrahi matrimonium *cum opinione probabili probabilitate juris* de carentia impedimenti; *modo opinio illa sit universe vel certe ab auctoribus recepta ut probabilis*.—VI, 901.

159. An in omni casu sponsis dari possit aut debeat benedictio?

Resp. 1.º Si nomine benedictionis accipiantur verba: «Ego vos conjungo...» *semper sub gravi danda est in matrimonio catholicorum*; quia a Concilio Tridentino præcipitur.—II, 853.

Parochus vero tenetur sciscitari consensum a sponsis, et proferre verba: «Ego vos conjungo...» Licet *probabiliter* dicant... quod, si ea verba non proferret, *peccaret tantum venialiter*, quoties factus esset certus de consensu manifestato; *sed forte probabilius... non excusant eum a peccato mortali*, cum defectus sit circa materiam gravem.—*Homo apost.*, tract. XVIII, 74 (lib. 6, 1094.)

160. An et quomodo illicitus sit usus conjugii ob solam voluptatem?

Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem, id est, alios fines *expresse* excludendo.—II, 908.

Usus est illicitus, sed non plus quam venialiter, si adhibeatur ob solam voluptatem; *nisi voluptas intendatur ad bonum generationis, vel ut reddatur vir aptus ad reddendum*, ut recte ajunt Croix et Viva.—*Homo apost.*, tract. XVIII, 39.



## Tract. de censuris.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

161. An laici ex delegatione possint ferre censuras?

3.º *Laici et mulieres ne ex delegatione quidem, censuras ferre possunt.*—II, 943, 3.

Communiter tamen dicunt doctores quod ex commissione Pontificis *posset laicus ferre censuras*; quod enim censuras ferens debeat esse ecclesiasticus, est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare.—VII, 12. Probabilius negant doctores de mulieribus.—Ibid.

162. A quibusnam censuris quilibet confessarius absolvere queat?

Quilibet confessarius absolvere potest a censuris non SPECIALITER reservatis Papæ vel Episcopo.—II, 951-III.

A censuris latis a jure non reservatis certum est Episcopum vel proprium sacerdotem absolvere posse, ex cap. *Nuper*...—VII, 70.

## Tract. de irregularitatibus.

163. Utrum censendus sit irregularis qui dubitat an patriverit homicidium?

Si dubium est de homicidio patratio, probabilius et verius irregularitatem incurrit, ob specialem indecentiam quæ in homicidio reperitur, ut ex jure colligitur.—II, 1018, quær. 3, resp. 2.

Sed hic notandum 1.º, quod hoc procedit casu quo aliquis certus est de homicidio..., et solum dubitat an ipse sua actione fuerit causa illius... (cfr. integrum textum).—VII, 347, dub. 3.

## Tract. de indulgentiis.

164. An requiratur status gratiæ ad lucrandam indulgentiam pro defunctis?

Duplex est sententia probabilis. Prima communior affirmat... Hanc probabilior vocat S. Ligor... Secunda negat... Prima sententia ut tutior commendanda est...—II, 1050, quær. 9.

De Lugo requirit statum gratiæ, saltem in fine operis; quæ sententia tutior est. Et hæc verior mihi videtur cum Wigandt, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam.—VI, 534-10.

Al transcribir las muchas diferencias que hay entre la doctrina del Doctor San Ligorio y la de Gury, no fué mi ánimo manifestar que Gury se equivocó en todas y cada una de las opiniones en que se apartó del Santo Doctor; porque algunas veces, aunque pocas, también yo defendiendo en esta obra opiniones contrarias á las de San Ligorio; y tratándose de materias pertenecientes al derecho natural ó divino, cuando Santo Tomás dice lo contrario, siempre prefiero al Angélico Maestro cuando San Ligorio se aparta de él, á no ser en algunos pocos casos en que los Papas ó las Sagradas Congregaciones declararon alguna cosa contraria á lo que había defendido Santo Tomás.

No se puede negar que el P. Gury se apartó muchas veces de la doctrina de San Ligorio en cosas de importancia; y lo peor es que algunas veces le cita en su favor con buena fe, pero inexactamente. Trataré ahora del P. Ballerini.

3888. Benedicto XIV, en su constitución *Sollicita ac provida*, § 24, «de Sancto Thoma Aquinate loquens, son palabras de las *Vindicias Alfonsianas*, § 3, pag. 49 (impugnando el estilo de Ballerini contra San Ligorio), hæc notatu digna scribit, quæ de Sancto Alphonso æque dici possunt ac debent: «Qui tam eximio uti solent ac gloriari Magistro..., ii sibi ad æmulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc cæteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola doctrinæque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt. Cumque Angelicus Doctor sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo ac disputando rationem inire omnino non licet...»

«Profecto dolendum est quod cl. BALLERINIUS in exarandis suis adnotationibus ad ista Pontificis monita et ad superius memorata Sedis Apostolicæ judicia non satis adverterit. Qua de re audire præstat quæ in *Actis Doctoratus Sancti Alphonsi* leguntur.—De adnotationibus cl. professoris disserens, quas promotor fidei contra Sanctum Doctorem allegaverat, quarumque confutationem in *Summario additionali* exhibuimus, egregius causæ defensor Emmos. Cardinales iudices sic alloquitur: *Quod si... ad omnes inibi disceptatas (quæstiones) animum, oculosque convertant Patres Enmi., facile deprehendent inesse adnotationibus illis (las del P. Ballerini)... labe quædam, quæ non semel aut iterum occurrunt, sed frequenter repetitæ demonstrant universam rationem initam a professore illustri, intra fines sobriæ sanæque criticæ minimè contineri.*—Videntur acres ac pungentes humores e calamo in subjectas paginas cum atramento fluxisse; nec satis sedato et obsequenti animo Alphonsi auctoritatem, quoties obstabat adnotatoris sententiæ, fuisse repulsam. Certe gloria immortalis qua Alphonsi doctrina præfulget, et auctoritas quam ubique nacta est, permolesta nimis et incommoda, gravabat pondere inmani, ac pene conterebat scriptorem, qui sæpe ab illa recedere adnibatur. *Ast itane acerbe agendum erat, ut periclitaretur quandoque ipse contradictor, ne propria auctoritas vilesceret, dum dextra lævaque oppugnabat infensus virum sanctum et innoxium, in altiori loco constitutum?*

«Fuerit, si placet, æstus disputationis scholasticæ, qui stylum cl. antecessoris acuerit et concitarit; sed non ideo ad sanctissimam hanc judicii Sedem studium illud carpenti objiciendique transferatur.—Valeant potius apud doctissimos iudices nomina clarissimorum hominum, qui in Collegio Romano eodem munere, quod nunc cl. professor obit, magna cum laude perfuncti sunt: Joannis Petri Gury et Angeli Zecchinelli, quibus nihil sanc-



tius, nihil antiquius fuit quam S. Auctoris vestigia sequi, et qui, etiam ubi alium ducem sequuti sunt, id *verecunde et decentissime* egerunt. Tuebantur illi S. Auctoris decus, et cum eo *gloriam illorum quos Alphonsus summo in pretio habuerat*, quosque nonnumquam in theologica responsione contra P. Ballerinium defendere oportuit. Salmanticenses dico, aliosque, imo plures ex inclyta Societate Jesu, puta, Comitolum, Lacroix, Cardenam, Vivam, ac Suarium ipsum...

» Quod revera cl. professor in oppugnandis auctoribus sibi contrariis generatim *intra fines sobriæ sanæque critices* non steterit, nullus profecto dubitabit, qui quæstiones infra perpendendas inspexerit.—Sint interim quædam exempla:

»1. Judice P. Ballerinio, Pontius *ad ingenii ostentationem affert ratiunculam* (a Sede Apostolica probatam), *quam nemo non sprevit.*—Collet amore tam perditam *eam* (opinionem, scilicet, quam S. A. probabilem censet) *deperibat ut...* Eidem tribuit *ferream frontem*; et concludit: *Dignum sane hujusce causæ patrocinium, dignumque patronum!*

»2. Eadem urbanitate tractat ipsos suos consodales Societatis Jesu, licet aliqui maximi sint nominis.—Sic: Quæ CARDENAS affert, *plane sunt miserissima.* Nam mitto quod, cum nemo antea hunc terminum (pro eliciendo charitatis actu) *fixerit, jam Cardenas, se unum demum prudentem venditet...* Ut iniquit dolens et fere indignus Cardenas, *vir placitis suis plus æquo sorte adictus...* Cardenas in hac operis sui parte *posthuma et sane secundis curis indigna, se remque totam, lapsus memoria, misere implicavit.* Quæ tradit Croix (et cum ipso S. Alphonsus) de occasione necessaria, est *hypotesis vana, absurda, chimærica; et semper verum erit istam Croixii opinionem nec rationi consonam esse...* Comitulus *per invia et devia, pro indisciplinato ingenio suo, discurret...* Omnia hæc (sunt) suo auctori congrua... Sed et in his videat facinus Comitolo dignum!—Henricus Henriquez, *non alia supellectile quam fallacium allegationum congerie fretus*, primus infert canonem absolvi peregrinum posse a peccato in diocesi sua reservato, si reservatum in confessarii diocesis non sit.—Succedit Henriquezii discipulus, Suarez, *arrepitque e Magistro tribus fallacibus allegationibus*, non modo canonem illud repetit, sed *insuper novum inauditumque ad eam usque ætatem inversum canonem primus statuit...* Verum ne os quidem terminos alii (vide Lugo et S. Alphonsus) *servaverunt...*; sed a consuetudine repetendam esse dixerunt (facultatem absolventi peregrinos): *quam quidem consuetudinem incr. d. bali anachronismo, quando, scilicet, ejusmodi theorias ne per somnium quidem ullus hominum cogitaverat, probatam ab Eugenio IV dixerunt.*

»3. Sed nec ipsum deterruit veneranda auctoritas Benedicti XIV.—Etenim de solemnitatibus nuptiarum tempore feriarum vetitis loquens P. Ballerini, sic scribit: *Consuetudo quorundam locorum habet non quidem ne fiant proclamationes, aut ne celebretur contractus matrimonii, neve hoc consummetur per tempora feriata; sed ne celebrentur nuptiæ, nisi aut urgente aliqua necessitate, aut obtenta Ordinarii licentia, etiam (si fieri possit) in casu necessitatis: cui consuetudine utique par est ut parochi sese accommodent.* Ita Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Wiestner... etc. *Quocirca necesse non erat ut hoc ipsum Lambertinius (Instr. 80, num. 14) tanquam novam ac peregrinam damnati Van-Espenii sapientiam suis parochis proponeret...*

In eadem Instr. 80, num. 20, Lambertinius rursus affert Van-Espen etiam reprehendentem canonistas, quasi hi, nimis addicti rigorosis antiquorum canonum expressionibus, ab continentiam a matrimonii consummatione per tempus feriarum reducerint in præceptum, quando potius erat meri consilii: *prouti ex Lambertinio refert etiam S. Alphonsus* (lib. 6, num. 984). Sed et ista ad antiquos objectos canones *responsio falsa est.* Responsio vera est... Et concludit: *E quibus utique edocemur, inanem esse eorum spem, qui, in damnatis operibus latitare thesauros sapientiæ existimantes, potius e putridis hisce fontibus expiscari peregrina, quam a sinceris catholicæ scholæ promptuariis doctrinam audivere salagant.*

»4. Quos autem cl. professor præ aliis tenerrimo affectu prosequitur, sunt Salmanticenses. Ab exemplis hoc loco referendis abstinemus; vix enim in præsentis opere quæstio occurret, in qua ipsos (et cum iisdem S. Doctorem) *fallacium allegationum, quinimo oscitantia et negligentia in sententiis doctorum describendis* non arguat.—Aliter tamen de Salmanticensibus judicavit S. Alphonsus. In præfatione tamquam prioris operis moralis (*Adnotationes ad Medullam Busembaumii*, de anno 1748) hæc leguntur...: *Alia explicanda, alia addenda censui ex diversis probatorum doctorum auctoritatibus, nimirum, S. Thomæ, Lesii, Sanchez, Castropalai, Lugo, Layman., Bonacina, Viva, Croix, Roncaglia et aliorum; præsertim Salmanticensium, qui communi æstimatione moralem hanc scientiam diffuse et egregie pertractant; quosque ipse inter ceteros frequentius familiares habui...* Cui S. Doctoris iudicio quisque stabit, qui præsens opus evolverit. Non negamus minus rectas auctorum allegationes in Salmanticensibus (quemadmodum et in omnibus aliis) nonnumquam occurrere; sed idcirco non erat cur eximii isti scriptores tam acerbe tractarentur. Quæri potest, curnam cl. Ballerinius speciatim Salmanticenses præ aliis oppugnet? Censuit ne forsitan, disjecta semel istorum auctoritate, eo ipso corruere, magna saltem ex parte, auctoritatem ipsius S. Alphonsi?

» Quidquid sit, cujusmodi fuerit cl. professoris erga ipsum S. Doctorem agendi ratio, proprius inspicere juvat; quocirca præmonemus ipsius animadversiones quandoque directe in S. Alphonsum proferri, quandoque indirecte, quatenus, nempe, P. Ballerini plurium auctorum sententiam oppugnat, quam S. Doctor aut tenendam judicat, aut saltem probabilem censet.

» Primum cl. Ballerinius S. Alphonso exprobat quod *plures tueatur opiniones SENTENTIÆ COMMUNI ADVERSANTES.*—Sint quædam exempla.

## S. ALPHONSUS.

1. An in communibus pauperum necessitatibus sit obligatio gravis dandi eleemosynam ex superfluis stantui? *Sententia communior, cui adhæreo, affirmat...* (cfr. p. 152).

2. Qui violat votum (etiam simplex) castitatis, probabilius committit sacrilegium (p. 191).

## P. BALLERINI.

1. S. Ligorius opinioni, quæ stat pro gravi obligatione, adhæret quasi communiori. At... concludere est, hanc opinionem non communem esse, sed quorundam paucorum contra communem (cfr. infra, p. 153).

2. Hæc opinio contra se habet communem theologorum doctrinam... (pagina 191).